



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici,
& Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur,
Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis,
Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris
novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXXXIX. De Clausulis in Litteris Sacra Pœnitentiariæ pro foro interno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

disp. 30. notat, nihil referre, si post expeditam ab Executore dispensationem, causa definat esse vera, videlicet, quod mulier eousque inops, dives evadat ante initum matrimonium cum consanguineo, cum quo jam extat dispensatum; quod tenet Diana, & per eum citati part. 8. tract. 3. resol. 77.

9. *Quer.* An subsistat dispensatio, si falsa causa sit, sed tanquam vera probata appareat per falsos testes? *Resp.* Non subsistere in foro conscientiae. Secus autem, si vera sit, sed probata per falsos testes. Tambur. dict. §. 2. num. 11.

10. *Quer.* Cum Pontifex in Brevis Apostolico dicere solet: Propter has, & similes alias causas rationabiliter nostrum animum moventes &c. An executor præter causas præcise positas dispensandi, teneatur se informare etiam de aliis generalibus? *Resp.* Negativè, nisi alia posita sint sub conditione. Sanchez d. lib. 8. disp. 35. num. 24. & Pyrrhus Corrad. dict. lib. 7. cap. 2. num. 113.

11. *Quer.* An delegatus in Dispensationibus in forma pauperum possit aliquando mutare poenitentiam, vel pia opera in Brevis præscripta, & prius ab Orationibus facienda, vel saltem ea mitigare, vel ad brevius tempus restringere, aut in parte post matrimonium differre? *Resp.* Dicendum videtur, quod possit, gravissima necessitatis causa subsistente, ut si oratores sint pauperissimi, mulier sit vicina partui, vel filios tenellos habeat, quibus victus quotidianis laboribus sit comparandus; seu vir sit infirmus, ut sæpè contingit in hac Diocesi Patavina: ratio est, quia Juxta de jure potest minuire poenam. Cevallos com. contra com. conclus. 549. numer. 19. Fatimac. de Delict. & pen. tit. 3. qu. 17. num. 7. & num. 62. & seqq. & ita sentire videntur Suarez de Sacrament. Poenit. tom. 4. disp. 31. sect. 10. num. 15. Sanchez in Opuscul. Moral. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 21. num. 10. Diana part. 7. tract. 10. resol. 9. & par. 9. tract. 9. resol. 11. Pax Jordan. tom. 2. lib. 10. tit. 1. num. 125. Menoch. cas. 391. num. 7. & in puncto Genuens. in Praxi Curie Archiepisc. Neapol. cap. 25. num. 2. & Gavanti in Manual. verb. Dispensatio num. 38. Porro in contrarium scribit Pyrrh. Corrad. lib. 8. cap. 6. à num. 16. & seqq. Rubeus in Aphorism. Verb. Poenitentia, & alii, quos citat, & sequitur Tamburin. dict. lib. 8. de Matrim. tract. 2. cap. 13. §. 3. per totum, in quo censetur nimis rigide loqui; nam aliquando in facto comperi, impossibile esse, oratorem dispensandum ob paupertatem, vel infirmitatem nimiam, posse totam implere poenitentiam, adeo, ut menti pia Pontificis non videatur indignum, si raro, at quoquomodo ardeatur tempus poenitentiae juxta doctrinam Genuensis, & Gavanti ubi supra. Porro tutius erit in his casibus scribere ad Datarium, & ab eo impetrare facultatem vel differendi, vel minuendi Poenitentiam, ut sæpè practicum est in hac Curia Patavina, Auditoratus, & Vicariatus munere me fungente.

12. *Quer.* An Executor possit recipere aliquod munus pro labore dispensationis? *Resp.* Negativè juxta expresse prohibitionem, quam ibi ponit Pontifex in fine Brevis, & no-

tant omnes Doctores, inter quos Pyrrh. Corrad. dict. lib. 7. cap. 6. num. 14. Quamvis nonnulli apud Dianam par. 8. tract. 3. resol. ult. doceant, esculenta, & poculenta non prohiberi, quod non damnat Tambur. ubi supra cap. 12. §. 6. & Genuens. dict. cap. 25. num. 13. qui licet omne munus prohibitum censeat etiam esculentum, & poculentum, tamen expensas pro accessu ad examinandos testes non valentes ad eum venire, in vecturiis, & victu concedit; prout mercedem Notarii, ac pro copiis processus post expeditam dispensationem. Ceterum ab omni acceptione est abstinendum ob inflictam excommunicationis poenam, quam reservatam esse, tanquam latam ab homine, notat Nicol. in Lucubrat. Canon. lib. 5. tit. 39. sub num. 203. §. 7. & hic Patavii ego semper abstinui, & alios Vicarios Prædecessores meos, Viros honestissimos, vidi abstinere. Hæc dicta sint non solum pro instructione Confessariorum, sed etiam pro advertentia Ministrorum Episcopatum, qui non raro has difficultates resolvere nesciunt.

CAPUT CXXXIX.

De Clausulis, quæ inferuntur in Dispensationibus S. Poenitentiarum pro foro interno.

1. *Quer.* Quæ sit prima clausula Brevis, quod à Poenitentiaria conceditur pro dispensationibus fori interni? *Resp.* Quod Executor, ab impetrante eligendus, sit Confessarius Magister in Theologia, vel Doctor Decretorum, ex approbatis ab Ordinario; ideò, si hæc duæ qualitates non sint in illo, id est, Doctoratus, & approbatio, dispensatio sit nulla. Tamburin. dict. lib. 8. de Matrim. tract. 2. cap. 13. §. 1. num. 1.

2. *Quer.* Cur requiratur, ut Delegatus sit Confessarius approbatus ab Ordinario? *Resp.* Ut sciamus, illum non posse dispensare, nisi in ipso actu Sacramentalis Confessionis. Diana part. 8. tract. 3. resol. 106. Tambur. ubi supra num. 3. ubi contra Marcum Leonem tenet, invalidam esse dispensationem, si confessio sit sacrilega, sive invalida.

3. *Quer.* An Confessarius approbatus pro audiendis tantum confessionibus virorum, possit expedire dispensationem impetratam, seu præteritam à muliere? *Resp.* Affirmativam tenere opinionem Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 34. num. 16. Negativam Dianam d. resol. 103. Utamque probabilem dicere Tamburin. ubi supra num. 4. Sed ego tenendum censeo cum Diana, quia, qui limitatam habet approbationem, non potest ultra ejus tenorem operari circa audiendas Confessiones, ut præcipit Constitutio Clementis X. quam retuli de Poenitentia. Decis. 38. in fine.

4. *Quer.* An simpliciter Licentiati, vel Magistri facti à Religione possint exequi Brevia S. Poenitentiarum? *Resp.* Negativè, quia debent esse ad gradum Doctoratus in aliqua Universitate promoti, vel ad hoc deputati ab aliquo Prælato habente speciale privilegium à Sede Apostolica; prout illud habet Generalis Jesuitarum. Sanchez d. lib. 8. disp. 34. num.

num. 11. Pyrrh. Corrad. d. lib. 7. cap. 4. num. 70. & Tambur. d. cap. 13. §. 1. num. 6. Vide meam Dec. 48. de Pœnitent. num. 14.

5. *Quer.* An Confessario, qui Breve, seu litteras S. Pœnitentiariæ aperuit, negante dare dispensationem, possit pœnitens præsentare easdem litteras, seu Breve alteri Confessario, & ab eo dispensari? *Resp.* Affirmativè, quia apertio Litterarum non destruit facultatem in illis concessam; adeò ut si primus vel nolit dispensare, vel moriatur, antequam dispense, potest pœnitens eas ad alium Confessarium deferre, sive etiam ad eundem primum, si mutata opinione paratus sit dispensare. Sanchez d. lib. 8. disp. 34. num. 11. & Tambur. ubi supra num. 7. 8. 9. 10. & 11.

6. *Quer.* Quæ sit secunda Clausula litterarum S. Pœnitentiariæ? *Resp.* Ut Confessarius se diligenter informet de veritate causæ propositæ; quæ quidem informatio sine testibus, & sine Notario sumenda est, ac proinde à sola assertionem ejusdem Pœnitentis. Tamburin. d. cap. 13. §. 2.

7. *Quer.* An Confessarius debeat exigere juramentum à pœnitente super veritate facti propositi? *Resp.* Affirmare Pontium de Matrimon. lib. 8. cap. 21. num. 16. Negare Perez eod. tract. disp. 48. sect. 5. num. 8. Cui adhæret Tambur. d. cap. 13. §. 2. num. 2.

8. *Quer.* Quid faciendum, si pœnitens asserat, rem ita esse, prout in litteris continetur, ipse verò Confessarius aliundè sciat, rem ita non se habere? *Resp.* Non posse exequi litteras, neque dispensare, quia secundum scientiam suam Confessarius debet operari. Sanchez dict. lib. 8. disp. 34. num. 21. & Tamburin. dict. §. 2. num. 3. Ubi tamen advertit, debere Confessarium semper sigillum Confessionis factum, rectumque custodire.

9. *Quer.* Quæ sit Tertia clausula litterarum S. Pœnitentiariæ? *Resp.* Ut Confessarius debitam pœnitentiam injungat petenti dispensationem, & sic eum dispense. Tambur. dict. cap. 3. §. 3.

10. *Quer.* Quomodo se debeat gerere Confessarius circa impositionem pœnitentiæ? *Resp.* Ita se gerere debere, ut si Pontifex, seu S. Pœnitentiaria, determinaverit opera pœnitentialia, debeat Confessarius ea ad amussim injungere; si verò ad ejus prudentiam, & arbitrium se remiserit, pro suo libito possit ea determinare. Tamburin. dict. §. 3. num. 2. ubi ex Sanchez d. lib. 8. disput. 34. num. 16. advertit, non esse opus pœnitentia, neque absolutione, si jam culpa fuit in præcedentibus Confessionibus absoluta; quod tamen est intelligendum de necessitate, nam ex congruentia potest, stante nova accusatione cum debito dolore, iterum impendi absolutio, & injungi pœnitentia, quod quidem est laudabile, & ego semper in praxi servavi.

11. *Quer.* Quænam sit quarta Clausula solita poni in litteris S. Pœnitentiariæ? *Resp.* Quod impedimentum sit occultum.

12. *Quer.* Quando impedimentum, seu delictum censeatur occultum? *Resp.* Super

hoc quæsito latissimè scribere Fagnan. in cap. Utera. De cohabit. Cleric. & mulier. à numer. 106. & segg. tom. 4 pag. 17. & Garziam de Benefic. part. 7. cap. 11. à num. 46. & segg. ubi post plurima videntur concludere, illud censeari occultum, quod probari non potest; & idèò, si duobus, vel tribus testibus delictum, seu impedimentum innotescat, non posse dispensari, quia non reputatur occultum. Porro hæc doctrina principalem locum obtinet in dispensationibus dandis ab Episcopo super irregularitatibus, & aliis delictis occultis, vigore Concilii Tridentini sess. 24. de Reformat. cap. 6. At in dispensationibus super impedimentis occultis, vigore litterarum S. Pœnitentiariæ, Theologi ferè omnes mitius loquuntur; tenentes, tunc occultum censeari, quando non est publicum, seu famosum, nec manifestum, aut notorium, & per consequens licet sciatur à nonnullis personis, nihilominus si à majori parte vicinæ, seu universitatis non sciatur, posse dispensari tanquam occultum; quia finis S. Pœnitentiariæ est, ut evietur scandalo publico, quod quidem cessat, quando à paucis habetur notitia impedimenti. Sanchez dict. lib. 8. disp. 34. num. 55. cum ibi allegatis, quibus non dissentit Garzias dict. part. 7. cap. 11. num. 45. & 46. imò adhæret Tamburin. dict. lib. 8. tractat. 2. cap. 5. num. 25. & segg. ubi ampliat, quamvis alibi esset publicum, dummodo in loco, ubi est dispensandum, sit occultum; vel si deductum foret ad judicium, & ob probationes impeditas reus neque esset absolutus, neque condemnatus, sed pro nunc licentia, & expeditus; nam transacto anno ejus delictum reputatur occultum. Gloss. in cap. Omnipotens. Verb. Denuncietur. de Accusat. Excipit tamen unum casum, nempe, si Breve diceret, dummodo impedimentum, seu delictum sit omnino occultum; tunc enim, si aliquo modo sit probabile, non poterit Executor dispensare, quod docet Vericellus in Quæst. Moral. tractat. 3. quæst. 51. num. 8.

13. *Quer.* Quænam sit quinta Clausula Brevis Pœnitentiariæ? *Resp.* Ut revalidetur matrimonium inter ipsos conjuges, eos admonendo de nullitate prioris contractus, seu prioris consensus. Tamburin. dict. cap. 13. §. 5.

14. *Quer.* Quomodo sit certiorandus conjux, qui notitiam non habet impedimenti, & nullitatis matrimonii, de ejusdem impedimento, & nullitate? *Resp.* In praxi hanc rem esse difficilem, & opus esse maxima prudentia, & dexteritate. Nam hæc dispensationes per litteras S. Pœnitentiariæ plerumque dantur ad revalidanda matrimonia, quæ sunt nulla ob impedimentum affinitatis ex copula illicita, habita ante matrimonium ab altero ex conjugibus cum affine in primo, vel secundo gradu alterius conjugis, propterea, si delictum patratum sit ab uxore, quæ ante matrimonium passa sit, se carnaliter cognosci à fratre, vel nepote mariti sui; si maritus certus fiat à Confessario de nullitate matrimonii, periculum est,

est, ut amplius nolit eam mulierem in uxorem habere; quæ sic remaneret infamata, & scandala orirentur, potissimum si filii, & filia essent genitæ; & idem esse posset, licet non tam facile, si delictum sit à parte viri, & mulier, quæ forsitan solita sit tractari à viro cum asperitate, certificata de nullitate matrimonii, vellet alii nubere. Itaque Confessarii executuri litteras S. Pœnitentiariæ, vident se in angustiam positos, dum ad hoc punctum, seu ad hanc clausulam perveniunt, certiorandi scilicet conjugem inscium impedimenti, de nullitate prioris consensus, & de invaliditate matrimonii, & de novo necessario consensu pro eo revalidando. In hoc negotio tres habentur Doctorum sententiæ. Una, quod satis sit præstari novum consensum a solo conjugis consensu impedimenti. Ita Ledesma, & alii, quos allegat Sanchez lib. 2. disp. 36. numer. 2. & Boslius de Matrimon. cap. 2. num. 72. Altera, quod sit requirendus novus consensus à conjugibus, nullam scientiam nullitatis matrimonii habente, sine certificatione de eadem nullitate, sed solum generalibus verbis, ob consolationem alterius conjugis, & pro quiete conscientiarum. Ita Sotus, & alii apud Castropal. disput. 2. de Spons. punct. 7. §. 2. num. 3. & apud Boslium dict. cap. 2. a num. 74. Tertia, ut de novo exigatur expressus consensus ab utroque conjugibus; & conjugis ignarus impedimenti, de eo expressè certioretur, (tacita tamen causa impedimenti.) Ita Aversa quest. 11. de Matrimon. sect. 4. Vers. Quantum ad tertium. Sanchez dict. lib. 2. disput. 36. num. 3. & Tamburin. dict. lib. 8. de Matrimon. tractat. 4. cap. 7. §. 2. num. 1. & seqq. Et ego in praxi coactus fui ferè semper adhibere secundam opinionem; & magna cum suavitate conjugem ignarum impedimenti hortatus fui ad præstandum novum consensum, dicendo id fieri, quia cum plura requirantur ad validitatem matrimonii, suberat magnum periculum nullitatis prioris consensus; & idcirco ad tollendam Dei offensam optimum esse remedium, præstare novum consensum, & supponere, nunc initiari matrimonium validum, habentes pro invalido primum contractum; quibus verbis animus conjugis nescientis impedimentum disponebatur ad novum consensum præstandum; & tali dispositione cognita, obtinui ratificationem matrimonii per novum consensum conjugis utriusque.

15. *Quer.* Quid contineat sexta Clausula? *Resp.* Quod dispensatio per litteras S. Pœnitentiariæ concessa suffragetur tantum in foro conscientie; unde si impedimentum ad aures Episcopi pertingat, poterit procedere ad separationem; quamvis Filliucius de Matrimon. tract. 10. part. 2. cap. 10. num. 358. doceat, posse Confessarium de licentia pœnitentis certiorare facere Episcopum de dispensatione secreta; qua intellecta poterit Episcopus non ultra procedere contra conjuges prædictos. Tamburin. dict. tract. 2. cap. 13. §. 6.

16. *Quer.* Quid præcipiatur in septima

Clausula? *Resp.* Præcipi lacerationem Litterarum, seu Brevis, & quidem sub poena excommunicationis; & hoc ne aliquando pœnitentes præsumerent eo uti in foro externo; Unde fit, quod si Confessarius retineret eas, vel ipsum apud se cum aliqua scissura, seu fractura, non incurreret excommunicationem; ac etiam, quod si illud, vel eas redderet pœnitenti, dispensatio tamen valeret. Sanchez dict. lib. 8. disp. 34. num. 42. & Tambur. ubi supra §. 7.

17. *Quer.* An Breve sit subreptitium, quando quis habuit copulam incestuosam spe facilioris dispensationis, vel præcedente tractatu Matrimonii; & id non expressit in supplicatione Sacre Pœnitentiariæ? *Resp.* Negativè in duobus casibus. Primò, quando spes vel fuit retenta in animo, vel habita fuit ab uno tantum. Secundò, quando in Breve non dicatur, dummodo spe facilioris &c copula non sit habita. DD. quos citat Diana Coord. tom. 3. tractat. 2. resol. 115. & resol. 116.

CAPUT CXL.

Quibus modis cesset dispensatio Matrimonialis?

1. *Quer.* An cesset, & invalida fiat Dispensatio, à Summo Pontifice obtenta, si oratores, seu pœnitentes per octo, aut decem annos ea usi non fuerint? *Resp.* Negativè, quia semel obtenta semper durat, nisi oratores ei renunciaverint, & renunciatio fuerit à Summo Pontifice acceptata. Unde fit, ut nullo tractu temporis infirmetur; & licet quis millies dixisset, se nolle gratiam habere dispensationem, neque ea uti; tamen si mutata opinione voluerit eam adhibere, hoc facere poterit. Pontius de Matrimon. lib. 8. cap. 18. §. 3. num. 20. Sanchez dict. lib. 8. disp. 32. num. 7. & Tamburin. d. cap. 14. §. 2.

2. *Quer.* An dispensationes matrimoniales obtentæ possint revocari à concedente? *Resp.* Doctores distinguere illas pro foro externo ab illis fori interni. Primas, ajunt, non posse revocari sine justa causa, & cum restitutione pecuniæ solutæ in Dataria, quia sunt adinstar privilegii onerosi, vel remuneratorii, quod revocari non potest à Superiore absque causa legitima, & cum restitutione rei contributæ. Castropal. tom. 1. tract. 3. d. 4. p. 21. §. 2. Sanchez dict. lib. 8. disp. 33. num. 1. Illas verò fori interni revocabiles esse concedunt etiam absque ulla causa (sed venialis culpa reputaretur) quia sunt adinstar privilegii gratiosi, quod à Principe potest ad libitum revocari. DD. supracit. & Tamburin. dict. cap. 14. §. 3. in cujus fine notat, communem opinionem esse, summum Pœnitentiarium habere quidem auctoritatem dispensationes pro foro interno concedendi, sed non revocandi concessas.

3. *Quer.* An dispensatio Matrimonialis, seu potestas dispensandi concessa, & delegata per Pontificem, cesset per mortem ipsius Pontificis? *Resp.* Si res non est integra, id est,